

plenus bonis operibus migravit ad Christum post
IX. annos (a) ordinationis suæ.

Agapitus Patriarcha sedit annos XIII. (b)
Fortunatus Patriarcha sedit annos XV.
Valerianus Patriarcha sedit annos XVIII.
Benedictus Patriarcha sedit annos XXV.

Hi omnes, licet sub magnis infidelium perse-
cutionibus, fideliter tamen rexerunt Ecclesiam eo-
rum sacris prædicationibus, & exemplis.

Post hos successit B. Cromatius Patriarcha, Do-
ctor mirificus, contemporaneus egregii & primi
Doctoris Ecclesiæ D. Hieronymi. Quem Cromati-
tum idem Hieronymus, natus oppido Stridonis
in dominio Ecclesiæ Aquilejensis sito, inter viros
illustres commemorat; & in quadam epistola sibi
scribit *Domino suo Cromatio Beatissimo Episcopo A-*
quilejensi. Hujus tempore floruit etiam Rufinus
Presbyter Aquilejensis, Doctor eximius, qui Li-
brum de Historia Scholastica composuit, & mul-
tos alios de græco & hebraico transtulit in lati-
num: multaque epistolas direxit Hieronymo, &
Hieronymus sibi. Sedit annos XVIII. & plenus
bonis operibus migravit ad Christum.

Cromatio successit Augustinus Patriarcha, qui
post annos XIX. (c) ab ordinatione sua, aucto po-
pulo Dei, cum Sanctis in pace quievit.

Adelphus Patriarcha sedit annos IX.

Maximus Patriarcha sedit annos XX.

Januarius Patriarcha sedit annos VIII.

Secundus Patriarcha sedit annos III:

Niceta Patriarcha sedit annos XXXII. cuius tem-
pore, regnante secundo Theodosio, circa annum
Domini CCC. XXV. Attila flagellum Dei cu-
piens, sibi Romanum Imperium subjugare, & de-
bellatus a Romanis, quibus adhærebat fere om-
nes populi Occidentis, ubi occisa fuerunt C. LXXX.
millia hominum, reversus est Pannoniam: & reaf-
sumptis viribus, iterum intravit Italiam; & pri-
mo veniens in Forumjulii, destruxit omnes mu-
nitiones Forojulii, primo Castrum Forojuliense
quod nunc Civitas Austria appellatur, & obsedit
urbem Aquilegiam tribus annis, & Collem ubi
nunc est castrum Utini pro sui tuitione manuali-
ter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus, per
triū annorum obsidionem, infra quod tempus
multa millia hominum Aquilegensem occisa sunt,
Aquilegiam cepit & destruxit, dictum Nicetam
inhumaniter jugulando. Deinde ad partes alias
Italiae progrediens, civitatem Concordiam, Altinum
(d) quod nunc Tarvium, Opitergium, Patavium,
& alia multa delevit. Tandem precibus
B. Leonis Papæ I. idem Attila extinctus est.

Post Attilæ necem sedit in Aquilegensi sede Mar-
cellianus Patriarcha annis XXVIII. Hujus tempo-
re Zenon Romanum fastigium gubernabat. Odo-
nacher Ruthenorum Dux, oculo quodam Augu-
stulo, qui Romanum Imperium invadere præsum-
perat, Romam ingreditur: & totius Italiae per
XIV. annos (e) obtinuit Principatum. Quem Theodo-
ricus Rex Gothorum, ad Italiam properans, cui
dictus Odonacher occurrit cum innumerabili exer-
citatu, juxta Aquilegiam in campis uberrimis de-
bellavit.

Post Marcellianum Marcellinus in fedem institui-
tur Patriarchalem, quam rexit annos XV. (f) Et

(a) Apud Murat. annos XII. (b) Apud Murat. annos XV.
(c) Apud Murat. post annos XVIII. (d) Apud Murat. prope
Tarvium. (e) Apud Murat. per XIII. annos. (f) Apud Mu-
rat. & VI. Menses. (g) Apud Murat. annis XV. (h) Apud
Murator. Maxentius Patriarcha sedit annos IV. Menses V.

non modicum tempore Anastasi Augusti reforma-
vit Ecclesiam, & urbem Aquileensem, quam pro-
pter invasionem Attilæ invenit plurimum deforma-
tam, & quasi totaliter destructam.

Stephanus sedit annis XII. (g) Hic sub Justino
Christianissimo Imperatore, & Theodorico regnan-
te in Italia, qui erat Arriana infectus hæresi, &
Arrianos protegebat, multa pro fide catholica per-
pessus est. Sed Christo protegente, non solum Ec-
clesiam, sed totam provinciam a peste hujusmodi
liberavit. (h)

Macedonius Patriarcha (i) successit, Vir clarus
& pius, qui Justiniani Augusti assumptus temporibus,
vitam dicens laudabilem, & per Provinciam
Italiæ peragrans, fratres mirabiliter in Christo con-
fortabat. Tandem post annos XXVI. ab ordinatio-
ne sua, felici pace quievit.

Huic successit Paulus gloriosus Antistes tempo-
re Justini Imperatoris secundi. Cujus tempore Lon-
gobardi a Narsete Patricio ducti Italiam intrave-
runt, quorum historiam Paulus Historiographus,
qui fuit natione Civitatensis, diligentius scribit.
Et dicti Longobardi, primo in Forumjulii intran-
tes, Civitatem Austriam, quæ tunc castrum Fo-
rojuliense dicebatur, depopulaverunt, & totaliter
destruxerunt. Qualiter autem, & quomodo, &
quid de Ducissa, filiis, & filiabus accidit; & cu-
jus inductu Longobardi Italiam intraverunt, ipsa
declarat Historia. Hic Paulus Patriarcha, timore
eorumdem Longobardorum ductus, cum thesauro
& reliquiis Ecclesiæ ad Gradum Insulam se contu-
lit, quam novam Aquilegiam appellavit: & ibi XII.
Pontificatus sui anno vitam finivit.

Probinus Paulo successit, qui uno anno apud
Gradum vixit. (k)

Helias Patriarcha sedit annis XXII. Hic quia
tria Capitula Chalcedonensis Concilii suscipere no-
luit, tanquam hæreticus reprobatus est. Sed Pela-
gius Papa eidem misit epistolam fatis utilem, quam
B. Gregorius, dum adhuc esset Cardinalis scripsit.
Tunc Helias ab errore revocatus, de prædicti Pa-
pæ Pelagii consensu, viginti Episcoporum Syno-
dum convocavit, & Gradensem insulam, quæ ut
prædicatur, Nova Aquilegia appellata fuit, totius
Venetiæ instituit Metropolim. Ad cuius robur He-
raclius devotione ductus B. Marci Sedem, quam
dudum Helena mater Constantini tulerat de Ale-
xandria, Aquilegiam direxit, ut ibi veneraretur
apud S. Hermachoræ Sedem, ubi primo prædica-
verat verbum Christi. Venetiæ quippe duæ sunt.
Prima est illa, quæ in Antiquitatum historiis con-
tinetur; quæ a Pannoniæ termino usque ad flu-
men Danubii, in qua etiam Istria compléctitur,
protelatur: cuius Aquilegia olim civitas famosa ca-
put extitit, quæ etiam caput Italiae vocabatur. Se-
unda Venetia est, quæ apud Insulas maris Adriati-
ci, ex collectione populorum, (l) primam Venetiam
propter rabiem Attilæ & deinde Longobar-
dorum.... infra aquas fundata est.

Severus Patriarcha successit Helia apud Aquile-
giæ novam, & XV. annos sedit. Quem Smarag-
dus Patricius nolentem Ravennati Episcopo adhæ-
rere, cum tribus Coepiscopis de Grado violenter
abstrahens, cum injuria Ravennam duxit, compel-
lens eumdem Severum dicto Ravennati Episcopo
in tribus damnatis Capitulis a Papa Pelagio adhæ-
rere. Sed justo Dei judicio Smaragdus Patricius a
Dæmonio correptus, Constantinopolim remeavit.
Severus vero, expleto uno anno, ad Gradum cum

(i) Apud Murat. successit Stefano. Hinc Maxentius perperam
invectus est. (K) Apud Murat. De ipso nihil inventur, nec
dicitur; quia parum vixit, & ibi quiescit. (l) Apud Murat.
defuncta verba illa, primam Venetiam.